



1445Z

1719, 2

DISPUTATIO JURIDICA
 INAUGURALIS
 Ad
LEGEM FINAL.
COD. D. EDICT. D.
HADRIAN. TOL-
LEND O.

Quam
 DIVINO AUXILIANTE NUMINE
 Ex
 DECRETO ET AUCTORITATE
 EXCELLENTISSIMI ET AMPLISSIMI
 Incltyti **JCTORUM ORDINIS**
 in Perillustri, quæ Duisburgi ad Rhenum
 floret, Academia Regia

Pro
 Consequendis in Utroque Jure Honoribus
 & Privilegiis Doctoralibus
 Die XIX. Jul. An. M. DCCXIX.
 H. L. 2. G.
 Publico Examini submittit
JOHANNES PHILIPPUS TILEMAN
 dictus **SCHENCK**
BREMENSIS.

DUISBURGI AD RHENUM,
 Typis JOHANNIS SAS, Academiae Typographi.

J. J. Crass



AD ILLUSTRIS
REIPUBLICÆ BREMENSIS

SPLENDIDISSIMO AC AMPLISSIMO
SENATUI,


*Illustribus, Magnificis, Excellentissimis, Jure-
consultissimis, Nobilissimis, Gravissimis,
Prudentissimisque Viris ac Dominis,*

PRÆSIDII,
CONSULIBUS,
SYNDICIS,
SENATORIBUS,

PATRIÆ PATRIBUS
OPTIMIS,

VERÆ RELIGIONIS NUTRITIIS,
BONARUM LITERARUM FAUTORIBUS,
DOMINIS AC MÆCENATIBUS SUIS
SUMME VENERANDIS,
ET SUMMO HONORIS AC OBSERVANTIÆ
CULTU PROSEQUENDIS.

Inauguralem hanc dissertationem
ea qua par est pietate
& reverentia,
D. D. D.
AUCTOR.



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
Ad
**L. FIN. C. DE EDICTO
D. HADR. TOLL.**

CAPUT I.
CONTINENS
**GENERALIA QUÆDAM AD
EXPLICATIONEM HUIUS LEGIS.**

§. I. *De testamentorum anxia subtilitate, usu & firmitate. II. De remediis inde heredibus concessis, & eorum differentia. III. De utilitate remedii adipiscendæ possessionis ex leg. fin. Cod. d. Edict. D. Hadr. toll. IV. Ipsa Lex integra, ejusque divisio in jus vetus & novum.*

§. I.



In quæsitum est, quid statuendum sit, de jure & auctoritate testamentorum. Quidam parum iistribuendum esse censuerunt, tum quod jure Gentium jus de rebus nostris disponendi morte non incipit, sed finitur; tum quod ad juris translationem
A 2 unius

unius voluntas non sufficit; tum denique quod sæpe delirant animam agentes, nec sanum eorum sperari potest iudicium, quos mortis imminenti terror percellit, aut morbus divexat. Verum ex quo Gentes pleræque hunc disponendi modum, ob summam ejus utilitatem, recepere, priora dubia cessant, posteriori autem prudenter per varias cautiones occurri cœptum est. Apud majores nostros, Taciti temporibus, heredes sui cuique liberi, & nulum testamentum; hodie verò, ubi major scientiæ & literarum lux nobis affulsit, nihil hoc genere est frequentius. Romani autem imprimis religiose tutati sunt imperata mortuorum, nec tamen ratam habuere voluntatem quæ vel defuncti argueret insaniam, vel legibus adversaretur. Hinc maxima sollicitudine non modo varias testandi formulas Quiritibus præscripserunt, sed & tot ritibus solennibus actum hunc ad superstitionem usque muniverunt, ut Lucius Titius in *l. 88. §. 17. ff. de legat. 2.* merito professus sit. *Hoc testamentum meum scripsi sine ullo jurisperito, rationem animi mei potius secutus, quam nimiam & miseram diligentiam.* Et Imperator actum testandi in *l. 28. C. d. testamnt.* non ab re causam subtilissimam vocavit: Si vero omnia rite observata, legis & juris instar Leges XII. Tabb. ultimum patrisfamilias elogium habuere. *l. 120. ff. d. V. S. & Novell. 22. c. 2.* Responditque Papinianus, & Principali & Pontificali auctoritate compellendos esse heredes ad obsequium supremæ voluntatis *l. 50. ff. d. heredit. petit.* Tullius etiam Philipp. II. circa finem idcirco pronuntiavit, inter publicas hominum actiones, firmissimam legem esse, inter privatas testamentum.

§. II.

Quo certius autem executioni mandarentur testamenta, & ab hominum injuria vindicarentur, saluberrima Legum-

gumlatores remedia heredibus dedere. Neque enim his
 sufficiebat, statim sine aliqua apprehensione dominium
 omnium rerum hereditiarum ipso jure acquisivisse, nisi
 bonis defuncti uterentur fruenter, id quod facere non
 poterant, nisi ea possiderent. Tres igitur viæ ad heredi-
 tatem consequendam in jure proditæ sunt, 1. Petitio he-
 reditatis, 2. Interdictum quorum bonorum, 3. Missio in
 possessionem ex Edicto Divi Hadriani sublato. At harum
 virtutes si comparare lubet, multis parasangis remedium
 posterius superare priora apparebit. Petitio hereditatis
 longa & lenta res est, meræ difficultates, multæ ambages.
 Nec enim sufficit heredi testamentum non vitiatum protu-
 lisse, ut res ei restituatur. Sed jus heredis probandum est
 & exceptiones quæcunque sunt excipiendæ, de quibus
 plene cognoscitur. *l. 8. §. 13. ff. d. inoff. testam.* In interdi-
 cto quorum bonorum quoque si non plena, summaria ta-
 men adhibenda est cognitio, ad exemplum aliorum inter-
 dictorum & actionis ad exhibendum. *arg. l. 3. §. 9. & 13.
 ff. ad exhibend. juncta. leg. 3. §. 13. ff. d. itin. act. privat.*
 At in missione, quæ petitur ex capite, quod explicandum
 suscepimus, sufficit testamentum non vitiatum exhiberi:
 neque sic fit injuria possessori, quia nil nisi momentanea
 possessio ipsi aufertur. Præterea interdictum pariter ac
 hereditatis petitio datur adversus eos tantum, qui pro he-
 rede aut pro possessore possident. *l. 9. ff. d. hered. petit. l.
 1. ff. quor. bon.* Hoc remedium autem competit adver-
 sus omnes possessores earum rerum quæ probantur testa-
 toris fuisse tempore mortis. Deinde petitio hereditatis
 iudicium petitorium, non possessorium est, nec ingressum
 per se parat heredi in bona, nisi quorum possessio vacat.
 Interdictum vero auxilium Prætorium est, & non nisi bo-
 norum possessori competit, qui exiguo 100. dierum spatio

entis:

A 3

saepius

sæpius excluditur; de rebus etiam corporalibus, non de nominibus datur: nec aliis denique, nisi qui causam bonorum possessionis probaverint Prætori. Quæ in nostræ legis auxilio omnia alia sunt, ut non tantum facilior, sed & plenior possessionis nanciscendæ ratio, scriptis heredibus hic vere comparata videatur.

§. III.

Quod si jam varia possessionis commoda cogitemus, de utilitate hujus materiæ non amplius erit dubitandum. Præterquam enim, quod bonæ fidei possessor fructus lucratur, etiam omnis possessor eo ipso, quo possidet, aliis non possidentibus in pari causa potior est; non modo si justam, sed etsi vitiosam possessionem habeat: ideoque onus probandi rejicit in adversarium; nec regulariter titulum possessionis suæ edit, & resistere potest omnibus auctoritate privata quid adversus possessionem machinantibus; & si de ea dejectus sit, in continenti rursus adversarium dejecticere, aut interdictum unde vi intendere potest. Quæ & aliæ utilitates efficiunt, ut trito adagio *Beati possidentes* dicantur, & causa possessionis multum ab omni ævo habuerit contentionis. Ex consuetudine quidem quarundam Germaniæ, sicut Galliæ & Belgicæ Civitatum, possessio rerum hereditariarum ipso jure heredi acquiritur, quemadmodum in calce hujus dissertationis plenius ostendemus. At vero cum possessiones facti sint, & cum persona defuncti extinguantur, nec de persona in personam sine nova apprehensione transeant, idè apud Romanos heres de novo apprehendere possessionem debebat, ut verbis disertis tradit Paulus in *l. 30. §. penult. ff. d. acquir. vel amitt. poss.* Hoc autem quia propria auctoritate facere non poterat, præsertim si ab alio res possideantur, ideo ut rerum hereditariarum possessionem ingredi liceret, hac constitutione

tutione plenius effecit Justinianus.

§. IV.

Cujus sententiam & vim, ut eo feliciter quilibet Benevolus Lector mecum assequatur, ante omnia integra ejus verba in hunc locum referenda sunt, quæ ita sese habent: *Imp. JUSTINIAN. A Juliano P. P. Edicto Divi Hadriani quod sub occasione vicesime (partis) hereditatis introductum est, cum multis ambagibus, & difficultatibus, & indiscretis narrationibus penitus quiescente, quia & vicesima hereditatis ex nostra recessit republica: antiquatis nihilominus & aliis omnibus quæ circa repletionem vel interpretationem ejusdem Edicti promulgata sunt, sancimus, ut si quis ex asse vel ex parte institutus, competenti iudici ostenderit testamentum non cancellatum, neque abolitum, neque ex quacunque sua forma parte vitiatum, sed quod (in) prima figura sine omni vituperatione appareat & depositionibus testium legitimi numeri vallatum sit, mittatur quidem in possessionem earum rerum quæ testatoris mortis tempore fuerunt, non autem legitimo modo ab alio detinentur & eam restitutionem publicarum personarum accipiat. Sin autem aliquis contradictor exstiterit tunc in iudicio competenti, causa in possessionem missionis, & subsequente contradictionis ventiletur: & (ei) possessio acquiratur, qui potiora ex legitimis modis iura ostenderit, siue qui missus est, siue qui antea detinens contradicendum putavit, nullis angustiis temporum huiusmodi missione coarctanda: sed siue tardius siue premature aliquis missus est legis tantummodo arbitrium requiratur, & causa unde vel missio vel contradictio extiterit. Siue enim post annale tempus, siue post majoris ævi curricula aliquis fuerit missus, si tamen ex legitime formato testamento missio procedat, nullum ei temporis obstaculum objiciatur: nisi tantum temporis effluxerit, quod possit vel possessori plenissime securitatem super dominio prestare,*

praestare, vel ipsi qui missus est omnem intentionem excludere. Si enim vel ex una parte, vel ex utroque latere temporis prolixitas occurrerit, manifestissimum est non solum missionem, sed etiam ipsam principalem causam esse sopitam. Dat. 12. Kal. April. Constantinop. post consulatum LAMPADII & ORESTIS VV. CC. 331. Commentatio infinita foret, si omnia ad hanc constitutionem, non adedè facilem, congerere vellemus, quæ dici possunt. Zuchardus Conigius & Jacobus Menochius integros ad eam libros jam olim complevere, at nostrum institutum alio tendit: itaque ut modus sit, feligemus quod magis memorabile est, & operam interpretis desiderat, & vel amœnitate literarum vel utilitate in foro se commendat. Sunt autem duæ potissimum partes; prior de jure veteri, altera de jure novo. Vetus appellamus, quod fuit ante Justinianum: novum quod à Justiniano est definitum. Utriusque necessaria comparatio est: ad evitandam autem confusionem, jus vetus capite sequenti pertractabimus, jus novum vero capite ulteriore.

CAPUT II. DE JURE VETERI.

§. I. *Quis fuerit Hadrianus, quando vixerit, cur Divus, quid Edictum. II. De Lege Julia vicesimaria. III. Quomodo occasione ejus Edictum sit propositum. IV. Edictum ante Justinianum cessavit & quando. V. Multa vicesimæ vestigia à Justiniano relicta. VI. Ejusque vestigia hodierna.*

§. I.

IN nummis atque lapidibus nomen Imperatoris Hadriani semper incisum invenitur cum adspiratione, licet absque illa plerumque à nonnullis scribatur, Manutius

natus & Gruterus innumera de eo producant exempla. V. Jan. Grut. *inscription. pag. X. num. 6.* ubi HADRIANO AUGUSTO, & *pag. CCLXV. num. 4.* Idè ab Imperatore non Adrianus sed Hadrianus rectè vocatur. Filius fuit naturalis Ælii Hadriani Afri, & Domitiæ Paulinæ; adoptivus verò Trajani Imp., cujus etiam in Imperio fuit successor. Vixit initio secundi seculi æræ Christianæ, cœpit enim imperare A. C. 117. mortuus A. C. 138. postquam vixisset annos 62. menses 5. dies 17. imperasset autem annos 21. Princeps fuit præclara eruditione atque doctrina conspicuus, quod pluribus versus qui de eo exstant tam Græci quam Latini testari possunt. Vid. Spartianus, qui vitam hujus Imperatoris exposuit, *cap. 25.* *Divus* appellatur secundum morem Romanorum, qui post mortem Imperatoribus Divi appellationem plerumque tribuere, quorum mores essent approbati. Divus autem Hadrianus, qui memoratur in §. 2. 1. *de SC. Tert.* non est noster, sed Antoninus Pius. Vid. Vinn. *ibid.* & Briffonius *d. Verb. signif.* voce *Divi*. Ortum debet hic mos Augusto Imperatori, qui Cæsarem per consecrationem *Diis* adscripsit, unde *Divus Julius* dictus; Augustus vero inde *Divi filius*. Antea nemini, præter fundatorem atque conditorem gentis suæ, Romani honorem divinitatis tribuere. Verum post tempora Augusti *ambrosius* hæc adedò frequens fuit, ut omnes ferè Imperatores Divi, eorum domus atque Constitutiones vero divinæ appellarentur, videatur in primis Herodianus *lib. IV. cap. 2.* An autem Imperatores ante mortem honorem divinitatis, sibi vindicaverint, in dubium vocari fas est: vulgatum enim illud satis notum, *fit divus modo non sit vivus.* v. Consultissimi Viri Dn. Pottii erudite conscriptam dissertat. *de divinis Imperatorum titulis, thes. 33.* Edictum quod in lege ab auctore suo no-

B

minatur,

minatur, à Divo Hadriano occasione legis Juliæ Vicefima-
 mariæ constitutum esse, constat. Diversum autem est à
 Prætorum edictis, quæ lege Cornelia perpetua facta, &
 sub Divo hoc Hadriano per Salvium Julianum in ordinem
 redacta sunt, *l. 2. §. 13. in fin. Cod. d. veter. Jur. encl.* Prin-
 cipum enim edicta, sicuti & nostrum est, constituuntur
 potestate legis Regiæ, qua populus Principi & in Princi-
 pem omne imperium suum & potestatem contulit. *§. 6. l. 1.
 d. Jur. Natur.* Exinde quodcunque *Principi placet legis de-
 bet habere vigorem. l. 1. ff. d. constit. Princip.* Imprimis au-
 tem secundum *l. 3. Cod. d. legib.* leges generales, quæ ab
 omnibus æqualiter in posterum observari debent, dicun-
 tur, quæ à Principe *edicti* vocabulo nuncupatæ sunt. Vide
 ad hanc legem Gothofredum in not. Horum edictorum
 vestigia vid. in *l. 13. ff. d. Jur. Fisc. l. 8. ff. d. quest. & in l.
 15. ff. ad Leg. Cornel. de falsis.* Aliquando edicta Principum,
 interdicta vocantur apud Cic. ad Attic. *libr. 7. epist. ult.*, ubi
Cæsaris interdicta respuentur. Plerumque vero Edicta à Ci-
 cerone appellantur, quæ sunt Prætorum. Proprio vero
 hocce sensu utitur Claud. *4. conf. Honor. v. 299.*

Non sic inflectere sensus

Humanos edicta valent, ut visa regentis.

Cum autem Divo Hadriano ad Edictum hocce ferendum
 causam maxime præbuerit, nobilissima, omnium vestiga-
 lium, quæ apud Romanos exercita fuere, vicefima heredi-
 tatum, ideo priusquam de hoc edicto plura addam, non
 ab re facere videbor, si de origine & constitutione vicefi-
 mæ hereditatum quædam præmittam.

§. II.

Vicefima dicitur de quantitate, quod vicefima, sive
 vigesima pars ex hereditatibus & legatis ærario publico in-
 ferenda erat. Notante id Gronovio *de pecun. veter. libr. 3.*
cap.

cap. 13. potius viceſimæ hereditatum, communiter tamen dicitur vigefima per Synechdochen numeri; Lata eſt ab Auguſto Imperatore lege Julia (ut pleræque tam Julii Cæſaris, quam Octaviani Auguſti leges vocantur) Anno Urbis 759. ex ratione quam Dion. *libr. 55.* adducit, ad augendum ærarium, cui militaris nomen idem Auguſtus indidit, & ad ſuſtinenda onera belli. Ait Dion. Auguſtum conſtituiſſe *viceſimam, & in hereditatibus & donationibus, quas morientes, quibusdam exceptis, proxime agnatis & pauperibus relinquebant.* Paulus *libr. 4. ſentent. tit. 6.* his verbis totius legis intentionem non contineri putat, unde & plurima adjecit; ſed cum tota ferè lex perierit contenti eſſe debemus eo, quod nobis adhuc ex probatis auctoribus relictum. Hæc lex autem Julia viceſimaria non omnibus impoſita erat heredibus. Auguſtus enim ipſe plane exceperat conjunctos ſanguine, (quos Plinius *domesticos* vocat) & pauperes. Vid. Lipſii *commentar. in Plinii Panegyri. cap. 37.* Rationem vero hujus exemptionis vide in ipſo textu. Et imprimis Trajanus poſt Auguſtum parvam & exilem hereditatem hac vigefima immunem eſſe voluit vid. Plin. *Panegyri. cap. 40.* Quænam verò fuerit hereditas illa pauper dicta, & inter quam ſummam definita, omnes ferè auctores hærent: nonnulli ſummam centum aureorum ex *l. 23. Cod. de teſtam.* ſtatuerè volunt, nihil certi tamen in his antiquitatum tenebris ſtatuerè licet. Porrò nec peregrini viceſimam ſolvere tenebantur, ſicuti enim commodis carebant civitatis Romanæ, ita nec grave hocce onus iis infligi juſtum erat. Vid. Briſſonius in *ſelect. jur. antiq. l. 1. cap. 13.* Inveniebantur tamen dicit Plinius *cap. 37. §. 5.* quibus tantus amor nominis noſtri ineſſet, ut Romanam civitatem non modo *vigeſimæ, verum etiam affinitatum damno, bene compenſari putarent.* Verum hoc tempore Imperatoris

ratoris Caracallæ plane cessavit. Hic enim ut æqualiter hoc vectigal à subditis Romani Imperii solveretur, omnes qui Imperio gaudebant Romano civitate donavit. Vid. *l. 17. ff. d. stat. homin.* Ubi per Antoninum omninò Caracalla intelligendus est, sicut per legem *32. ff. d. donat. int. vir. & uxor.* & multis aliis argumentis probari possit, sed hoc nostrum non est. Vid. Excellentissimi ac JCTi consummatissimi Viri, Dn. Summermanni *Opera ad tit. d. stat. hom. §. 85.* & Spanhemii *orbem Romanum ad d. l. 17.* Originem itaque hæc lex Augusto debet, incrementum verò protinus accepit à Nerva Imperatore, Antonino & Trajano, qui imprimis huic legi beneficia & liberalitates addidit, unde etiam à Plinio magnum ei datur encomium vid. *Panegy. c. 37. cum seqq.* Ab Hadriano denique & aliorum Imperatorum constitutionibus plenius hæc lex confirmata est. Sunt qui hoc vectigal contra omnem æquitatis rationem institutum esse dicunt, alii tamen id sustinere & contrarium tueri volunt. Originem enim huic vectigali publica dedit necessitas, dum ærarium magna laborabat pecuniæ inopia, quod pluribus Suetonius *in vita August. cap. 49.* nobis explicat, ibique Commentt. Neque aded iniquum videbatur, ut heredes aliquid præstarent Filco de iis bonis, quæ aliquando præter expectationem erant nati. Hoc vero genus vectigalium, sicuti cætera, suos habebat Publicanos, qui id publice colligere debebant, & *vicefarii* vocabantur. Vid. *Reines. inscript. 13. 43.* aliquando & *Procuratores Augusti XX. hereditarium.* vid. *Jan. Gruteri inscript. pag. 359. n. 3.* Fufius de hac lege vicefaria egit Vir Cl. Petrus Burmannus in eruditissima *de vectigal. Popul. Roman. dissertatione cap. XI.* vid. *Slevogtii positiones,* quas edidit. *d. vicef. hereditat. & omninò Plin. in Panegy. sæpius allegato loco.* Ne itaque actum agamus,

mus, hæc sufficiant, de origine ac constitutione legis Juliae vicefimaræ.

§. III.

Supereft ut videamus, quomodo sub *occasione vicefima* hujus, ut Justinianus ait, hoc edictum Divi Hadriani propositum fit. Id quod antequam explicemus, non inutile reor monuisse, hoc egisse Hadrianum ut vitam suam quam simillimam fingeret Numæ, his versibus à Virgilio descripti libr. VI. Æneidos.

*Quis procul ille autem ramis insignis olivæ
Sacra ferens? nosco crines incanaque mentis
Regis Romani, primam qui legibus urbem
Fundabit.*

Unde sortem Virgilianam quasi de Hadriano scriptam crediderunt, teste Spartiano in ejus vita. Et utique is fuit, qui legibus urbem fundavit. Ei enim debetur decantatum illud D. Hadriani sive divisionis beneficium fidejussoribus competens §. 3. *Inst. & l. 26. ff. d. fidejuss.* & alia multa, quorum frequens est mentio in Jctorum Responsis. *v. l. 18. d. Stat. homin. l. 12. §. 1. ff. d. Administrat. tut. l. 5. §. pen. l. 20. §. 6. & l. 22. ff. d. petit. heredit.* alia recensuit Spartianus *cap. 18.* Ab ejus temporibus Codex Gregorianus cepit. Victor Schotti de eo: *Pace, inquit, ad Orientem composita Romam regreditur. Ibi Græcorum more, seu Pompilii Numæ ceremonias, Leges, Gymnasia, Doctoresque curare cepit.* Is etiam occasione vicefimaræ cautum ivit, ut heres testamento scriptus statim mitteretur in possessionem etsi testamentum diceretur falsum vel inofficiosum, ruptum sive irritum. Et quidem non tam ex ratione, ne per causam testamenti clausi heredibus sive legatariis mora fieret, sed in favorem Fisci ut statim ab herede vigesima ærario inferretur. Quæ ratio à Paulo redditur *libr. 4. sentent.*

tit. 8. in fin. his verbis: *Nec enim oportet testamento, heredibus, aut legatariis, aut libertatibus, quam necessario veltigali moram fieri.* Nec aliam ob causam ab eodem Hadriano statutum in l. 7. §. 8. ff. quor. appell. non recip. in casu heredis testamento scripti, non admittendam esse appellacionem, quia hæc res intuitu vicesimæ dilationem non recipiebat. Alia Ediçti hujus vestigia nobis dat Codex Theodosianus ubi l. 7. tit. 4. libr. 4. ejus his verbis fit mentio: *Aut certe ex Ediçto Divi Hadriani sese mitti in bonorum possessionem ex more perierit.* Quæ lex ex Cod. Theodosian. in leg. unic. Cod. Justinian. d. caduc. tollend. à Triboniano relata est, omissa tamen sunt verba, *ex Ediçto Divi Hadriani.* Ediçtum enim hoc tempore Justiniani sublatum erat, idè Tribonianus quam maxime ejus mentionem ex legibus juris novi remove voluit. Vid. Cujacius ad Paulum dicto loco. Aliud exemplum exstat in l. 6. Cod. quorum appell. non recip. quæ ex Cod. Theodos. plane defumta: In illa enim verba hæc sunt, *Ne hi, quos scriptos, potuerit heredes, in possessionem mittantur;* In Cod. Theodos. verò: *Ne heredes Ediçti à D. Hadriano conditi beneficium consequantur.* Vid. l. 2. Cod. Th. quor. appell. non recip. Ex eadem ratione Ediçti hujus sententia rarè etiam in aliis juris consultorum scriptis occurrit. Colligi tamen ea adhuc potest ex Paul. libr. 3. sentent. tit. 5.

§. IV.

Verum enim vero, non modo hoc Hadriani Ediçtum antiquatum dicitur ab Imperatore nostro Justiniano, sed & ipsa vicesima hereditatum sive vigesima hereditarium, dudum inquit *ex nostra Republica recessit.* Scilicet Ediçtum Hadriani ipse Justinianus sustulit ob duplicem rationem; tum quod mere à Jctis esset implicatum, tum quod vicesima lege Julia introducta jam pridem de Republica erat sublata.

sublata. Quo verò tempore vicefima sublata fit, valde incertum est. Alii id Gratiano Imperatori adscribunt, inter quos & Alciatus *lib. 3. dispunct. C. 6.* qui ex Aufonii aliquo loco in *gratiarum actione*, illud probare tentat. Sed eum cum suis asseclis valde errare Cujacius ad Paul. *recept. sentent. lib. 4. tit. 6.* satis ostendit. Aufonius enim nullum plane verbum de abolitione vicefimæ habet, sed loquitur tantummodo de caducis. Vid. Wiffembachius *ad nostr. leg.* Alii Antoninum Pium hoc vectigal plane sustulisse statuant auctoritate Zonaræ. Sed & hi multorum dissentientium rationibus convincuntur. Alii alium proferunt. Mihi cum multis aliis aded hoc incertum videtur, ut nulla ferè ratione nec conjectura, quæ in historiarum & antiquitatum commentatione vix admitti potest, id certum fieri posse existimem. Videtur enim sensim ante tempora Justiniani munificentia quorundam Imperatorum Christianorum obsolevisse. Vid. Balduin. in Justin. *libr. 3. p. 292.* Cujacius *ad l. 17. ff. d. V. S.* à Justiniano ipso eam sublata scribit, id quod Clariss. Dn. Burman. in *dissertat. mod. citat.* verosimile quidem at difficile dictu existimat. Plura præter Spanhemium & Burmannum supra laudatos de hoc vectigali tradidère Valesius ad Dionis *Excerpta*, Peiresc. & Salmasius *de modo usurar. c. 19.*

§. V.

Quicquid autem egerit Tribonianus una cum sociis, ut omnem plane memoriam hujus vicefimæ ex monumentis juris removeret, vel eam mutatis mutandis aliis speciebus accommodaret, multa ramen ejus vestigia in Juris libris adhuc superesse vidit summus Cujacius *libr. V. observat. c. 16. & libr. 9. cap. 24.* sic in *leg. 2. §. 44. ff. d. orig. jur.* Pomponius Auli Ofilii de vicefima libros laudat, qui Cæsari fuit familiarissimus, & vir Equestris Ordinis. Hunc
Æmilius

Æmilius Macer secutus, qui teste indicē Florentino *ἰμοτέων*,
 five ad legem vicesimam hereditatum libros duos scripsit:
 ex quorum secundo est. *l. 13. ff. d. transact.* his verbis: *Nulli
 procuratorum Principis, inconsulto Principe transigere licet,*
sc. de vicesima hereditatum, uti ex inscriptione constat,
 sic iure veteri mutus ac surdus testari non poterant: sta-
 tuerunt tamen Principes si à Principe impetraverint te-
 stari posse in *l. 7. ff. qui testam. facer. poss.* quæ deprompta
 est ex Æmilio Macro *libr. 1. ad legem vicesimam hered.* Hoc
 enim iis indulgendum ut heredum numerus major esset, at-
 que ita vectigal vicesimæ augetur. Ideo Macer etiam
 idcirco in *l. 68. ff. ad Leg. Falcid.* tractavit de æstimatione
 legatorum, in qua forsitan quod is scripserat de vicesima
 Tribonianus translulit ad Falcidiam. Vid. Ant. August.
libr. 1. emend. cap. 4. Pariter in *l. 154. ff. d. V.S.* Idem Ma-
 cer definit unde vicena millia in singulos dies numeranda
 sint, quæ absentibus ad aperiendas testamenti tabulas con-
 cessa erant presentibus enim triduum vel quinque dies
 aperiendis tabulis erant præscripti, Paul. *l. 4. sentent. rit.*
7. §. fin. Putem quoque cum Cujacio de vicesima accipi-
 endam esse *l. 2. C. d. transaction.* Ut de hereditate frater
 cum sorore ita transegerit, ut hereditas apud eum rema-
 neret, cuius litem verebatur, sorori daret certam pecu-
 niam, & ex ea causa si solverit frater Fisco vicesimam
 quasi hereditatis, jam indubitatus possessor, ut repetere
 non possit, & si non solverit, ut iure convenire possit.

§. VI.

Ceterum reliquias vicesimæ istius antiquatæ hodie
 etiam nonnulli in iure detractionis existare existimant, quos
 inter est Berlich. *p. 3. concl. 52. n. 6.* & Richterius ad no-
 stram legem *ult. C.* Item Rhetius *de sarcina emigrat. c. II.*
n. 3. Passim enim non in Germania tantum sed & in alijs
 Europæ

Europæ regnis inolevit, ut non tantum vicesima, sed & decima alicubi de bonis præsertim immobilibus quæ extraneo alicui obveniunt, præstanda sit, quæ *Abzugs-Geld / Abschoss / Nach-Steuer / Erb-Gulden* / vocatur. *Recess. Imp. d. anno 1555. S. Wo aber. & de anno 1594. S. Und so viel. Instrument. Pacis d. anno 1648. tit. 5. §. 12. Decimation, Erb-Thaler.* *Mevius p. 3. decis. 242. Gail. l. 2. Observ. 36. Köppen decis. 5. Carpzov. p. 3. const. 38. defn. 19.* Et sane negari non potest in nonnullis gabellam istam vicesimæ convenire v. gr. quod liberi, nepotes aliive descendentes, si parentibus, vel parentes si liberis succedant ab hoc onere sint immunes. Rationes ejus excussit *Rauchbar. lib. 1. quest. 15. & Berlich. dict. conclus. n. 23.* Si tamen dicendum, quod res est, non est verosimile, ex vicesima illa, quæ Justiniani tempore jam obsoleverat, natales hujus derivare posse, & frustra in ejusmodi rebus argumenta ex jure civili & Republica Romana peti, cum consuetudines, & privilegia locorum, & jus imperii, & necessitates in his rebus dominantur: sicuti ex *Scipionis Gentilis tractatu de Jurisd. libr. 1. cap. 27.* monuit *Fritsh. in Exercitat. juris Exercitat. 3. membr. 1. conclus. 4.* & inprimis *Illustris Thomafius Disp. de jure detractionis §. 3.* Memini me legisse populum Veronensem aliquando, cum Senatus novum quoddam vectigal imponere hereditatum vellet, argumento nostræ legis fin. ulum esse, & obtinuisse. Sed id illis temporibus contigit ubi in Italia omnes controversiæ publicæ pariter ac privatæ ex Jure Romano dirimendæ videbantur; nunc alii fontes petuntur.

C

CAPUT

CAPUT III. DE JURE NOVO.

§. I. *Constitutionis hujus summa & ratio. II. Mittitur in possessionem heres scriptus non nuncupativus nec legitimus. III. Quando substitutus & fideicommissarius. IV. Legatarius, item in re certa institutus, & donatarius mortis causa, qui legitimam petunt, & filia in feudis. V. Qualium rerum possessio per hoc remedium obtineatur. VI. Adversus quos. VII. Per quem judicem & quomodo missio fiat. VIII. Missiois effectus & an liceat ab ea appellare.*

§. I.

ORdo nos ad jus novum vocat, cui paulo diligentius immorandum erit, quia circa id versatur, quod in ipsis rerum obtinet argumentis. Sicut Carpovius *utilissimum & quotidianum* hoc remedium vocat. *l. 6. Resp. 19.* Quotidiana autem monente Paulo in *l. 25. ff. d. liber. leg.* plenius sunt attingenda. Hinc amplius, cum posterior lex priori derogat, valde est necesse legum tempora observare, & quasdam eorum habere veluti Fastos, præsertim cum de iis agitur, quas Justinianus sancivit. Hic suum, hoc est Imperatoris officium judicabat esse idem, quod olim Prætoris qui adjuvandi, supplendi vel corrigendi juris civilis gratia, Edicta proponebat propter publicam utilitatem. Quid igitur hic præstiterit, presse considerandum erit. Et primum quidem Constitutionis hujus dabo summam, tum rationem, & denique remedii hujus descriptionem. Summa hæc est: scriptus heres, si apud competentem judicem proferat testamentum, omni vitio carens quod in oculos incurrat, non cancellatum

tum neque abolitum neque ex quacunque suæ formæ partē vitiatum, mittitur in possessionem rerum hereditariorum, omiſſa quæſtione an teſtamentum verum ſit an falſum, jure valeat an non valeat, idque adverſus omnes rerum hereditariorum poſſeſſores, qui quovis titulo, quamvis ſingulari, dicant ſe eas poſſidere, niſi adverſus eum agatur, qui itidem ad deſenſionem ejusdem juris ſimili teſtamento non vitioſo utatur, inter quos ſi incidat controverſia res cognoscetur, & is vincet in poſſeſſione qui potiore jure niti videbitur. Eſtque hoc conſtitutum omnibus heredibus intra quodcunque tempus deſiderent, ſe in poſſeſſionem mitti, niſi præſcriptio tanti temporis incidat, quod poſſit poſſeſſori pleniffimam ſecuritatē ſuper dominio præſtare. Hæc ſumma eſt. Rationes ſi quæras, quare tam ſummariter procedi voluerit Juſtinianus? Dabo: Partim enim occaſione vicesimæ ei præiverat Hadrianus; tum jus hereditarium valde evidens hic apparebat, atque circumſtantia teſtamenti nullo vitio viſibili laborantis contra alium, jure ſuccedendi ab inteſtato ſubnixum, fatiſ valida erat, celeremque proceſſum deſiderabat: Accedit quod poſſeſſori non fit injuria, cui nil niſi momentanea poſſeſſio aufertur, quam in pari cauſa æquius erat apud eum eſſe, qui teſtamento nitebatur. Denique publice intererat ultimas voluntates quam celerrime executioni mandari, vel ut Paulus ait, *Publice expedit ſuprema hominum judicia exitum habere. l. s. ff. teſtam. quemadm. aper.* Deſcribi poſſet hoc beneficium, quod fit remedium poſſeſſorium, quo heres ſcriptus à judice comperente vi teſtamenti exhibiti, vitio viſibili carentis, ſe in poſſeſſionem rerum hereditariorum mitti petit. Qui conditionem ex lege hic ſomniant, vel eo ſolo reſelluntur, quod actor ab adverſario hic nihil petit, ſed judicem tantum implorat extraordinaria perſecutione.

§. II.

Nunc singulas partes constitutionis examinemus; Et hoc quidem capite, quis mittatur in possessionem, in quarum rerum possessionem mittatur, adversus quos, per quem judicem, quomodo & quo tempore: cætera capiti ultimo erunt destinata. Ait Justinianus, *Si quis ex asse vel parte institutus, competenti judici ostenderit testamentum.* Institutus quidem dicitur, non tantum heres qui scribitur testamento, sed etiam qui sine scriptura nuncupatur *l. 1. §. 1. ff. d. hered. instit.* utrique etiam bonorum possessio & missio datur in *l. ult. C. d. codicill.* verum quia in h. l. statim subjicitur conditio, si proferat testamentum in quo scriptum se esse ostendat, & in *l. 2. C. h. t.* dicitur *heres scriptus in possessionem mitti solet*, eoque rubrica facit *lib. 3. C. tit. 20. Ubi heredes scripti in possess. mitti etc.* satis liquet non nisi scripto heredi hujus legis beneficium propositum esse. Pro scripto autem herede hic etiam moribus habetur, qui quidem ore nuncupatus, sed tamen ex instrumento desuper à Notario confecto heres esse intelligitur *Carpov. lib. 6. Resp. 20. n. 4. Menoch. rem. 4. adip. poss. n. 91. Brunnem. ad h. l. Struv. Exercit. 45. th. 20. Fab. C. libr. 6. tit. 13. Lyncker. Decis. 1257.* Legitimi heredes ab intestato succedentes pari modo in possessionem rerum hereditariarum non mittuntur, quia nullam hujus modi, qualem scriptus heres, probationem proferre possunt. Licet enim testibus vel instrumentis ostendant defunctum intestatum decessisse, & se cognatos ejus proximos esse; earum rerum fides tamen in sensus non incurrit & statum non potest expediri; adhæc legitimus proprie dici vel esse aliquis heres non potest, quamdiu est testamentum: nec jus singulare contra tenorem juris introductum ad consequentias deduci debet. *l. 10. ff. d. LL. ut ne dicam rationem Ediçti D. Hadriani*
in

in legitimis locum non habuisse, quia extranei non propinqui vicesima onerabantur ut supra ex Dione diximus pag. 11. Atque ita moribus servari etiamsi heres legitimus defuncti filius sit, tradit Berlich. p. 3. Dec. 307. Carpov. l. 6. Resp. 19. n. 3. Richt. ad h. l. n. 107.

§. III.

Verba legis generalia sunt, & ad omnem scriptum heredem pertinent sive *ex assè* sive *ex parte* institutus, nam licet inter hos differentia esset ex L. Papia ratione aditionis & transmissionis, & hic apertis, ille clausis etiam tabulis adire potuerit, in hac tamen missione Imp. nullum discrimen esse voluit, ideoque aperte id profitetur. Heredis etiam heredi datur per transmissionem l. 7. §. f. d. A. vel O. H. Richt. ad h. l. n. 61. & Menoch. n. 236. Quæritur vero an substituti cum institutis mittendi sint? Verba videntur facere quod sic, quia substitutus & institutus heres est l. 20. §. ult. ff. d. condit. inst. Verum quia substitutus instituitur sub conditione, si institutus heres non erit. l. 1. ff. d. vulgar. & pupil. subst. Ideo rescriptum est in l. 1. C. h. t. institutum præferendum esse, aded ut si hic adversus tertios quosvis rerum hereditariarum possessores se mitti postulet, non audiatur, quin licet ipse jam in possessione sit, compelleretur per institutum hoc remedio experientem decedere de possessione, & eam instituto reddere. Idque jam olim ex Ediçto D. Hadriani obtinuisse Paulus auctor est lib. 3. sent. tit. 5. §. 15. his verbis: *Si inter heredem institutum & substitutum controversia sit, magis placuit eum in possessionem rerum hereditariarum mitti, qui primo loco scriptus est.* Deficiente tamen instituto non dubium quin substitutus ex beneficio nostræ l. ult. pariter ac primi gradus heres missionem obtinere possit. Richt. ad hanc l. fin. n. 62. Argel. d. acq. possess. qu. 7. art. 2. & qu. 16.

Menoch. n. 248. Quid si fideicommissarius hac constitutione uti velit? Dicendum est, cum hoc remedium intentare posse, si vel pars rerum, vel verbis saltem tota hereditas ipsi restituta sit, tum enim transeunt in eum omnes actiones activæ & passivæ, §. 7. l. d. fideic. hered. idque ex arg. l. 56. ad Sc. Treb. satis colligitur, dum enim JCTus ait, ante restitutam hereditatem in possessionem hereditatis filiam quoque mitti, quæ fideicommissio gravata erat, præsupponit restituta hereditate fideicommissarium mitti posse. Atque ita in foro obtinere tradit Peregrin. d. fideic. art. 48. n. 12. Gometz. ad L. Taurin. 45. n. 138. Menoch. dict. remed. 4. n. 181. Mev. p. 9. decis. 135.

§. IV.

Ad legatarios quod attinet non existimo Edictum D. Hadriani iis olim profuisse, si vicefimam non solverent Fisco, nec ab heredibus institutis ad hos argumentum tuto duci potest, quia ipsis propria auctoritate rem legatam occupare non licet, sed eam ab herede expectare, contra quem tergiversantem proditas habent actiones. Sed ratio testamenti cujus exceptio favorabilis est, postulare videtur, ut intelligamus Justinianum legatariis quoque consulere, exemplo heredum, voluisse. Nam & cum testamentum inofficiosum esse dicitur, tamen interea scriptum heredem legata solvere debere, præsertim si legatarii caveant, Justinianus aperte statuit in l. ult. C. d. petit. hered. & ante eum Alexander Imperator in l. 9. C. d. Legat. respondit. Si in fraudem eorum, quæ testamento relicta sunt admissus est accusator, qui testamentum fallum diceret, Præsidem Provinciæ solvi legata jubere debere, interposita cautione, si evicta fuerit hereditas, ea restitutum: quanto magis ergo si nullum evictionis immincat periculum, & ipse heres scriptus, qui & simul legitimus

ab

ab intestato heres sit, falsum testamentum esse dicat, pendente quæstione falsi, legatum præstabitur, quæ ratio Baldolini est in Justiniano pag. 298. contra quem disputat Giphani. ad *b. l. pag. 118.* qui & numero inito, plures habebit suffragantes. Pragmatici similiter in diversa abeunt. Negant hoc beneficium legatario, Menoch. *d. l. remed. 4. n. 694.* Mev. *p. 1. dec. 97.* Harprecht. ad §. 2. *l. d. Legat. n. 21.* aliique apud Stryck. in *Uf. modern. ad libr. 43. t. 2. §. 7.* Sed affirmativam tuetur Mynsingerus *c. 5. O. 61. n. 6.* Berlich. *p. 1. concl. 80. n. 10.* & alii apud Finckelth. *Obs. 121.* quem laudat L. Bar. de Lyncker. *dec. 607.* & hæc sententia eo minus dubii habet, postquam generaliter obtinuit, quod ex omni instrumento liquido parata detur executio, exceptionibus quæ altioris indaginis videntur in reconventionem rejectis v. Lauterbach. *C. Th. Pr. tit. de Legat. §. 43.* & Esbach. ad Carpzov. *p. 3. c. 2. def. 18.* Eadem ratio ejus, qui in re certa institutus, etiamsi coherentem habeat. Diversum quidem tenet Faber in *Cod. lib. 6. tit. 6. def. 6.* ex ratione, quod tum non heredis sed legatarii loco habeatur. *l. 13. C. de hered. inst.* Cui argumento ut satisfaciat se torquet Wesembecius ad *b. l. C. §. 1.* fallaciam à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter committi causatus; at nihil horum opus esse, ex præcedentibus satis, nisi fallor, apparet. De mortis causa donatio idem dicendum putem, si donatio in scriptis celebrata, comparatur enim legato & morte confirmatur. *l. 15. l. 32. & l. 37. ff. d. m. c. donat.* Richter. *d. l. n. 149.* Carpz. *Resp. 20. n. 5. & 8.* Locus & huic remedio est pro legitima consequenda, & liberis pariter ac parentibus datur vid. L. B. de Lyncker. *dec. 1335.* ibique allegati. Filiabus denique salutare est hoc remedium si in testamento patris vasalli institutæ sunt, nam ita in casu quo dubium est, an feuda sint masculu-

masculina, in bona immitti & in illis conservari possunt, quia agnatorum & domini directi prætenfio altioris indaginis est. Meifchn. tom. 3. dec. 13. Cam. Menoch. dict. re-med. 4. n. 375. Berlich. p. 3. dec. 307. per tot. Si vero agnati possessionem citra vitium naçti sunt, aut de eorum jure ex literis investituræ constat, secus est. H. Pistor. l. 4. quaest. 10. n. 24. Lyncker. Anal. ad Struv. S. 7. C. libr. 43. tit. 2. th. 20.

§. V.

Secundo loco nunc videamus in quarum rerum possessionem missio fiat. Justinianus ait: *Mittatur quidem in possessionem earum rerum, qua testatoris mortis tempore fuerunt, non autem legitimo modo ab alio detinentur.* Quibus in verbis duo comprehensa; primum ut res testatoris fuerint, alterum ut ejus fuerint tempore mortis. Mittentur ergo heredes in possessionem omnium rerum, mobilium, immobilium & incorporalium, ut nominum, obligationum, actionum, servitutum; sive ipse eas possiderit sive alii ejus nomine, sive in dominio ejus fuerint sive in bonis, ergo etiam in res bona fide à defuncto possessas & pignori illi obligatas; Hoc amplius in res etiam commodato acceptas & apud eum depositas. Hoc enim licet non dicat Justinianus, ratio postulat ut statuamus cum Donello ad h. l. n. 5. Gentile de Jurisd. c. 27. & Richtero ad h. l. fin. n. 133. tum quia ad periculum testatoris pertinuerunt, tum quia æquius est eas ad heredem defuncti pervenire, quam ad alios derentores, qui nihil juris habent, tum denique quia hæc omnia in hereditatis petitionem veniunt. l. 19. ff. de petit. hered. Alterum exigi diximus, ut defunctus mortis tempore eas possiderit, & merito, quia nihil ad heredem pertinere potest, nisi quod sit hereditatis, nihil autem hereditatis est, nisi quod defunctus habuit, ut definitio docet

cet

cet l. 82. ff. de Reg. jur. Diserte Paulus de Edicto D. Hadriani libr. 3. recept. sent. tit. 5. §. fin. scribit: *In possessionem earum rerum, quas mortis tempore testator non possedit, heres scriptus priusquam jure ordinario experiatur, improbe mitti desiderat.* Quæ tamen mortuo testatore hereditati jacenti per alluvionem, consolidationem, foeturam aliove modo accreverunt, hereditaria erunt, quia hereditas non adita defuncti personam sustinet, ut multis argumentis comprobatur esse ait Ulpianus in l. 34. ff. d. acq. rer. dom. De praxi horum requisitorum consulatur Menochius dict. remed. 4. n. 363. & seqq. & Jacob. Coren. Observ. 10. n. 46. & 47. Circa fructus variatur, an & hos Judex adjudicare possit, licet post mortem testatoris percepti. Negat Menoch. d. l. n. 300. rectius autem affirmativam tuetur Mevius p. 9. dec. 166. quia hereditatem tanquam ejus portio auxerunt, & eodem loco & jure quo bona hereditaria censentur. Atque ita pronunciaffe Hallenses refert Stryck. d. l. §. 9. in fin.

§. VI.

Nos nunc pergimus ad eos adversus quos hæc missio constituta est, nimirum adversus possessores, qui infirmius jus habent herede, & ut Imper. ait: *Qui legitimo modo rem non detinent.* Per legitimum modum hic intelligitur justus titulus, justa & legitima possidendi causa, sicut legitimo modo alienare dicitur in l. 7. §. 1. ff. d. Curator. fur. Talem autem titulum non habent qui pro herede vel pro possessore possident; illi etenim aut b. f. putant se esse heredes, aut scientes mentiuntur se tales esse, cum non sunt. vid. l. 11. ff. & l. 11. C. d. hered. petir. Hi vero sunt prædones qui nullum titulum ne quidem per mendacium obtinent, quique interrogato cur possideant, nihil aliud respondent, quam quia possident, v. d. l. 11. & 12. ff. eod. vel ut ele-

D

ganter

ganter id exprimit Scholiaſtes græcus ad βασιλικών. lib. 42. tit. 1. qui interrogationem vertunt in reſponſionem, unde *afinina* poſſeſſio vocatur. Vid. Beſold. *conf.* 56. n. 67. Rich-ter. n. 255. Argelus d. *Legitim. contrad. queſt.* 10. art. 16. Cæteris ergo qui vivente defuncto titulo pro emtore, pro donato, pro legato, aliove legitimo rem ejus ſunt confe-ctuti, hoc remedio poſſeſſio non auferitur. Dixi *vivente*: nam etſi tituli illi ſunt juſti, ſi tamen mortuo teſtatore nati ſunt, incipiunt fieri injuſti: quia venditor v. gr. eam ſine titulo occupavit, hereditate jacente: nemo autem plus ju-riſ in alium, quam ipſe habet, transferre poteſt. Cete-rum illud per ſe patet, quod ſi res hereditaria à nullo poſ-fideatur, neque hoc remedio neque Judicis auctoritate opus eſſe. Neque enim ob aliam cauſam Judex aditur, quam ne vim faciamus, & vi facta poſſeſſionem rei amittamus propter conſtitutiones in l. 13. ff. *quod metus cauſa.* l. 7. C. *unde vi.* quæ in *Receſſ. Imper. de anno 1521. & 1531.* confir-matæ ſunt, & moribus obtinent, ut Brunneman. in *not.* ad eas docet, & Mevius p. 1. dec. 95. Schilter. *Exercit.* IX. th. 12. & 13. Berger. ad Lauterbach. *tit. quod legator.* Dif-fentit Carpzov. p. 4. c. 25. def. 11. & Perez. in *Cod. ad Leg. Jul. d. vi n. 21.*

§. VII.

Sequitur ut videamus per quem judicem ſeu à quo he-res conſequi debeat miſſionem: & conſtitutio noſtra exi-git *Judicem competentem*; quo nomine ſæpe Magiſtratus majores & populi Romani intelliguntur. Interdum etiam Magiſtratus municipales ut in §. 6. *Inst. quib. mod. jus patr. pot. ſolv.* *Recta via ad competentes Judices & Magiſtratus.* Sed quia miſſio hæc imperii magis quam ju-diſdictionis eſt, Magiſtratus municipales illam concedere non poſſunt. l. 4. ff. *d. juris d.* Competens ergo Judex hic eſt, qui & pro po-teſtate

testate sua potest in possessionem mittere, & cujus territorio res subjectæ sunt de quorum possessione agitur. *l. 1. C. ubi d. hered. agit. juncta l. 50. pr. ff. d. judic.* Atque hac significatione sexcentis in locis competens Judex pro eo accipitur ad quem cognitio pertinet. *l. 19. ff. d. jurisd. l. 2. §. 10. Si quis in jus voc. l. 20. ff. jud. solv. l. 5. ff. d. appellat.* Quod si bona testatoris in diversis territoriis sita singulorum territoriorum Magistratus adeundi sunt; nisi malimus dicere ab eo Magistratu missionem petendam esse sub cujus ditione domus mortuaria vel maxima pars bonorum sita est. *arg. d. l. 50. ff. de judic. & l. un. Cod. ubi fideic. peti deb.* Hodie de praxi Camerali omnium superior Judex aditur, etiam in feudis à diversis dominis recognitis, ex rationibus quas habet Blum. *Proc. Cameral. tit. 40. n. 4. Struv. S. 7. F. c. 18. aph. 2. Gail. 1. Obs. 32.* Ceterum non statim oblato libello (cujus formulam habet Blumius *n. 100. supplic. Cameral.*) & de plano Judex mittit, sed citato adversario & per decretum, non secus atque missio ventris nomine, & ex Carboniano edicto expeditur. *v. l. 1. §. 4. de ventr. in poss. mitt.* Menoch. *d. remed. 4. quest. 56. n. 447.* Subsecuto autem decreto heres jussus ire in possessionem propria auctoritate rem non occupabit, dejecto vi possessore, sed ut ait Justinianus *cum testificatione publicarum personarum*, id est per Magistratus ministros, per quos illi tententias suas exequi solent. *l. 50. ff. d. evict.* Hinc Jctus in *l. 68. ff. de Rei vindic.* ait. *Manu militari, officio judicis possessio transfertur.* Alibi apparitores isti *servi publici* dicuntur. *l. 1. C. d. serv. reip. caus. man.* vid. *Lipl. libr. 1. Elect. cap. 22.*

§. VIII.

Effectus hujus missionis est, quod heres veram possessionem rerum hereditariarum consequatur, qua in re dif-

fert ab ea, quæ fit ventris nomine & legatorum servandorum causa, ubi custodia tantum & observatio rerum transfertur vetere domino nihil ominis in possessione manente. *l. 12. ff. quib. ex caus. in poss. l. 5. pr. ut in poss. leg.* Temporalis autem tantum possessio est, non perpetua, & si postea in contradictorio iudicio vetus possessor potiora jura habeat, huic possessio est restituenda. *arg. l. ult. C. quor. bon.* Habet etiam hoc commune cum judiciis possessoriis, quod à missione provocari nequit. *l. un. C. si de mom. poss. app. Mev. p. 2. dec. 282. & p. 9. dec. 134. Posth. d. manut. observ. 106.* quod tamen Menoch. *d. l. n. 820.* tum concedit quando sententia lata est in favorem scripti heredis, secus si pro reo pronunciatum sit.

CAPUT IV.
EXPONIT MODOS, QUI
HOC REMEDIUM EXCLUDUNT.

§. I. *De vitio testamenti visibili. II. De invisibili. III. De legitimo contradictore. IV. Quid si jus utriusque anceps. V. De præscriptione. VI. De consuetudine, qua heres ipso jure succedit in possessionem defuncti.*

§. I.

Reliquum est ut videamus modos, qui hoc saluberrimum remedium excludunt. Horum in ipsa constitutione tres recensentur. 1. Vitium visibile. 2. Legitimus contradictor. 3. Præscriptio temporis, quibus nos pauca addemus de consuetudine quorundam Germaniæ civitatum, qua ipso jure defuncti

ci

Et possessio continuatur. Ad primum modum hæc pertinent Imperatoris Justiniani verba. *Si ostenderit testamentum non cancellatum, neque aboliturum, neque ex quacunque sua forma parte vitiatum, sed quod prima figura sine omni vituperatione appareat, & depositionibus testium legitimi numeri vallatum.* Nimirum vitia testamenti alia sunt visibilia, ut cancellationes, sive deletiones, si sit abolutum vetustate testamentum ut legi non possit, si testes illud non subscripserint vel subsignaverint, aut si numerus testium sit imperfectus, vel deficiat heredis institutio, quæ testamenti est basis, item si dies & consul defit juxta *Novell. 47. c. 1. §. 1.* Alia sunt invisibilia, quæ statim in oculos non incurrunt, ut an testamentum sit falsum ruptum, irritum, injustum, inofficiosum; Illa visibilia missionem impediunt, hæc non, quia missio celeritatem desiderat v. *l. ult. ff. d. appell. recip.* Atque hoc discrimen Edicto Divi Hadriani jam cautum fuisse docet Paulus *libr. 3. rec. sent. tit. 5. §. 14.* & quam maxime in foro observatur v. *Mev. p. 2. dec. 281. Carpz. p. 3. c. 5. def. 18. & libr. 6. Resp. 19. n. 2. Cothman. v. 1. conf. 9.* Si quis objiciat valere tamen jure Pandectarum testamentum, in quo consulto vel inconsulto aliquid deletum est fec. *l. 1. ff. d. his que in test. del.* Respondeo id intelligendum esse, cum nihil adversus illud objicitur, & cancellatio in illis partibus non est facta, quæ ad testamenti substantiam pertinent. Ad impetrandam autem missionem in possessionem ejusmodi testamentum nunquam proficit, priusquam de vitio cognitum esset: Suspectum enim quasi esse coeperat, ob id quod in scriptura aliquid corruptum. Accursii & Viglii distinctiones refellit Ant. Matth. *ad h. l. th. 31.* Hodie DD. communiter distinguunt, utrum rasura facta sit in parte testamenti essentiali, ut in institutione heredis: an in accidental

rali, ut in legatis, tutelis, fideicommissis, aliisque quæ substantiam testamenti non ingrediuntur: Illo casu rasura nocet, atque vitium visibile infert, hoc vero non. Vid. Menoch. *dict. remed.* 4. n. 709. Richter. *ad h. l. fin.* n. 174.

§. II.

Ad vitia visibilia moribus (nam secundum *l. 2. C. h. t.* invisibilia videntur) plerique etiam referunt vitia interna quæ ex eodem testamento vel alio instrumento in continenti demonstrari possunt v. gr. præteritio vel injusta liberorum, aliorumque quibus legitima debetur, exheredatio. v. Struv. *S. 7. C. Ex. 45. th. 23.* Brunn. *ad l. f. C. h.* Stryck in *vs. Mod. lib. 43. tit. 2. §. 3.* ubi præjudicium. Si quis vero testatorem tempore conditi testamenti alienæ potestati subjectum, item impuberem prodigumve fuisse dicat, aut heredem scriptum apostatam, hæreticum, usurarium esse, & heredem scribi non potuisse causetur, aut ipsum testamentum uno contextu non esse conditum, testes non esse rogatos, & quæ sint similia plura objiciat, non audietur, quia nullum horum ex inspectione tabularum in oculos incurrit. De defectu chartæ sigillatæ videatur Responsum apud Stryck. *vs. Mod. d. tit. §. 6.* De prælectione testamenti omissa, vid. Excellentiss. Dn. Boehmeri *Disput. d. testament. non prælecto.* Et quamvis multis placuerit, etiam vitia hæc invisibilia impedire missionem, si in continenti probari possint, aut in petitorio lis jam cœpta sit. Vid. Cephal. *conf. 4. n. 16.* Peregrin. *d. fideicom. art. 45. n. 29.* Hartman. *Pistor. l. 4. obs. 10. n. 21.* Carpzov. *p. 3. c. 5. def. 18.* Mev. *p. 2. dec. 281. n. 6. & 7.* Magis tamen est, ne sic quidem impediri missionem, rum quia ad eam obtinendam ex hac lege sufficit, quod testamentum in prima figura sine ulla vituperatione appareat, tum quia tales exceptiones oppositæ aliquam requirunt causæ cognitio-

gnitionem vid. Jacob Coren *observ. 10. n. 40.* Voet *ad tit. quor. bonor. §. 4.*

§. III.

Alter modus hoc beneficium excludens, his Justiniani verbis comprehenditur: *Sin autem aliquis contradictor extiterit: tunc in iudicio competenti, causa in possessionem missionis, & subsequuta contradictionis ventilentur: &c.* Duplex in hac lege distinguendus est contradictor, alter universalis, alter particularis; de hoc egimus capite præcedente ad verba, *non autem legitimo modo ab alio detinentur.* De illo hic agitur qui scilicet universum jus heredis seu petitoris alio testamento prolato convellere tentat. Non quilibet autem contradictor ad impediendam missionem sufficit sed legitimus esse debet; talis quis fit prolixè pertractat Argelus in tractatu *de legitimo contradicatore.* Breviter dici posset quod talis sit, 1. qui sine vitio hereditatem occupavit, eamque non vi, clam aut precario tenet, sed vacuum possessionem palam aut ex titulo possidet. 2. Qui in continenti jus suum legitime probare potest, hoc est, qui intra terminum executioni præfixum, ita paratam habeat probationem ut nulla egeat dilatione, & Judex quid æquum & justum statim determinare possit. vid. Hartman. *Pistor. dict. observ. 10. n. 21.* Sed & 3. si alius possidet, & vitiosa possessio est, alter qui potior est interdicto, pro legitimo contradicatore habetur. vid. Perill. S. à Coccej. *7. Contr. tit. quor. bon. quest. 3.* Hinc si heredes ab intestato hereditatem possideant, ac Judicis auctoritate eam occupaverint, heres tamen scriptus possessionem hoc remedio revocare potest, quia sola successio ab intestato tali in casu titulus idoneus non est, ad heredem scriptum repellendum. Coren *d. l. n. 43.* Sed & si utraque pars testamentum protulerit, utrumque examinari & inquiri debet,

bet; quis potiora jura ostendat; Hæc vero ostendisse videtur, in cujus testamento omnia magis conveniunt personis, locis, temporibus. & cui testes integriores, notiores, & honestiores sunt adhibiti.

§. IV.

Quid autem si utroque testamento omnia paria conveniant? aut si uterque eodem testamento se vocatum contendat, instituto forte Titio cognato, cum duo Titii cognati essent, ac jus utriusque anceps ac dubium sit? Magis est, ut neutri interim rerum hereditiarum possessio adjici debeat; sed potius illæ sequestrandæ sint, donec de potentiore alterius jure constiterit. *arg. l. un. C. d. prob. sequestr.* Uterque enim mitti nequit, natura possessionis repugnante, quoniam duo in solidum possidere non possunt; unum vero mitti non decet, quia non plus juris habet quam alter; restat igitur, ut neuter admittatur. Sicuti si Titius testamento tutor datus, neque intelligitur, de quo ex duobus senserit testator, neutrum placet tutorem fieri. *vid. l. 30. ff. d. testam. tut.* Et si duobus Sempronii fuerit legatum, mox Sempronio ademptum, nec appareat, cui ademptum sit, legatum impeditur *sec. l. 10. ff. d. reb. dubiis.* Atque hoc moribus etiam obtinere, testes satis locupletes sunt. *vid. Berlich. part. 1. concl. 73. n. 106. & 107. Faber. in Cod. libr. 6. tit. 13. def. 1. Gail. d. arrest. imp. c. 1. n. 21. Mev. p. 2. dec. 281.*

§. V.

Ultimus modus est præscriptio 30. annorum. Ex Edicto D. Hadriani post annum scripti heredes in possessionem rerum hereditiarum non mittebantur, ne moræ vectigali injiceretur teste Paulo *l. 3. sent. tit. 5. §. 16.* quod nostra Constitutione correxit Justinianus illis verbis, *sive enim post annale tempus*, nullisque temporum angustis missionem

sionem coarctari, sed perpetuo eam ab herede peti posse præcepit, sed excepit mox *nisi* tantum temporis effluxerit, quod possit vel possessori plenissime securitatem super dominio præstare, vel ipsi qui missus est omnem intentionem excludere: Si enim vel ex una parte vel ex utroque latere temporis prolixitas occurrerit manifestissimum est non solum missionem, sed etiam ipsam principalem causam esse sopitam. Doctorum interpretationes hæc verba incertissima nobis atque obscurissima reddidere, dum illis *ex utroque latere* usucapionem illis vero *ex una parte* præscriptionem 30. vel 40. annorum significari crediderunt. Sed omnia plana sunt si ad personas de hereditate litigantes hæc referantur, ut sit hic sensus; *sive ex una parte*, id est vel possessoris solius, vel heredis solius; *sive ex utroque latere*, id est & possessoris & heredis simul, nimirum si possessor res hereditarias usuceperit, mobiles triennio, immobiles longo tempore decem vel viginti annorum: vel præscripserit petitioni hereditatis intra annos triginta, & heres intra hoc tempus non egerit, juxta *l. 7. C. d. petit. hered.* Carpz. *p. 2. c. 3. def. 10. n. 7.*

§. VI.

Colophonis loco agemus de consuetudine quorundam locorum, vi cujus defuncti possessio ipso jure in heredem continuatur: ibi enim præter recuperandæ & retinendæ possessionis remedia ad executionem statuti remedium nostræ *l. fin.* recte intenditur, ut quam possessionem legitimam civilem, & fictam heres habet, eam beneficio hujus missionis veram & naturalem consequatur, ut jam olim Baldus docuit in *rubr. Extr. de causa poss.* probavitque Decius *conf. 84.* ibique Molinæus *in notis.* Jure quidem Romano certa regula est, neque possessionem esse in hereditate, neque alia in heredem, quam ea quæ juris sunt transfundi, pos-

E

sessionem

feſſionem autem rerum hereditariarum, niſi facto apprehenſa, non tranſire. vid. l. 1. §. 15. ff. *Si is qui teſt. lib. l. 23. & 30. §. pen. de acq. vel amitt. poſſeſſ.* Sed aliud placuit Gallis, Hispanis, Belgis, Flandris, & multis Germaniæ civitatibus, ſecundum vulgatam parocemiam, **Der Todte erbet den Lebendigen.** De qua Hertius d. *Paroc. n. 79.* Rationem vim ac poteſtatem hujus legis vel conſuetudinis fuſe perfequuntur Jacobus Curtius *libr. 1. conſeſt. c. 6. & ſeſq.* & Nicolaus Bellonus *libr. 4. Supputationum.* Ex legibus Hiſpanorum Taurinis eam derivat Eichel. in diſp. *d. tranſit. poſſeſſ.* Ex juribus Germaniæ antiquis Allemanico & Saxonico ejus antiquitatem oſtendit Schilterus *Ex. XV. §. 11. & Ex. XXX. §. 105.* ut conſuetudinem illam validam eſſe minime dubitari poſſit. *Mynſ. c. 3. O. 39. Gail. d. arreſt. c. 12. n. 16. Mey. p. 2. Jus Lubec. tit. 2. art. 27. n. 6.* Quanquam parum abeſt, quin illa fori Germanici conſuetudo deinceps recepto jure Romano in deſuetudinem abierit, & moribus hodiernis obruta fuerit, ut patet ex controverſia, quæ olim inter Carpzovium *dec. 225.* & Hahn. in diſp. *de Tranſit. poſſeſſionis in heredes* interceſſit, de qua & arbitri Schraterus & Titius *ad Lanterb. lib. 43. tit. 2.* adeantur. Plane praxeos Imperii peritiſſimi teſtantur poſſeſſionem hodie ipſo jure apud Germanos non tranſire, niſi exceptio ex lege provinciali aut conſuetudine probetur. Vid. *Gail. 2. Obſ. 129. n. 1. 7. & 8. Gylman. t. 1. Symph. p. 1. t. 7. vot. 4. n. 38.* alique apud Berger. diſp. *d. tranſmiſſione hereditatis.* & Slevogt. *de poſſeſſione non tranſeunte,* ad quos Benevolam Lectorem remitto: Mihi enim rubricam hujus diſſertationis intuenti & Patriæ cariſſimæ deſiderio ſagranti, nunc quidem prolixius hæc exequi neque libet neque licet. Finiam itaque cum Phœdro:

Super ſunt mihi que ſcribam, ſed parco ſciens,

*Ut si quis eadem forte conari velit,
Habere possit aliquid operis residui,
Quamvis materia tanta abundas copia,
Lavori faber ut desit, non fabro labor.*

T A N T U M!

COROLLARIA.

I.

*J*udex majorem æquitatis quam stricti juris rationem observare debet.

II.

*B*eneficium sive privilegium Principis quam strictissime interpretandum.

III.

*L*egati etsi inviolabiles, tamen in Principis personam conjurantes puniri possunt.

IV.

*S*tatus Imperii in suis terris jus commune Romanum pro lubitu mutare possunt.

V.

*Q*uerela non numerate pecuniæ in cambiis locum habet.

F I N I S.

Viro Nobilissimo & Consultissimo,

D. JOHANNI PHILIPPO TILEMAN,
dicto SCHENCK,

J. U. Doctorando

S. P. D.

CASPARUS THEODORUS
SUMMERMAN,

J. U. D. & Prof. Ord. h. t. Decanus.

ITa est, ut eleganter scribis, Doctissime Domine Doctorande, in *l. 17. ff. de Stat. hom.* per *Antoninum* Imperatorem *Caracalla* intelligendus est, id enim satis superque probatur ex *Dionis* excerptis, ab *Henrico Valesio* editis. Priore tempore Peregrini à vectigali vicefimæ hereditatis immunes erant, solique Cives Romani illud pendebant. Ut vero plures essent, qui tale vectigal solverent, omnes in Orbe Romano habitantes Cives Romanos effecit *Antoninus Caracalla* Imperator, sic ut pro certo habeam, hujusmodi Imperatoris Constitutionem, in cit. *l. 17. ff. de Stat. hom.* relata, ad Ingenuos non esse restringendam, sed ad Libertinos quoque pertinuisse, & proinde jam tum eo tempore omne discrimen inter Libertinorum statum tripertitum simul corruisse, utcumque *Iustinianus* in *§. fin. 1. de Libertin.* sibi persuaserit, se tale discrimen sustulisse, omnesque Libertinos, Latinos nimirum, & Dedititios,

dititios, civitate Romana donavisse. Is etiam in *Nov. 78. cap. fin.* supra propositum jus non solum *Antonino Pio* Imperatori adscripsit, verum illud nomine quoque beneficii insignivit, cum tamen satis constet, eo Peregrinis ingens onus, nimir. præstationem vicesimæ, imo decimæ, hereditatis, injectum fuisse. Sed in illis rebus, quæ vel ex historiis, aut ratione naturali, aut principiis politicis probandæ sunt, autoritas *Justiniani*, vel *Triboniani*, sive cujuscunque tandem, sicubi ejus assertio illis repugnat, contemnenda est. Hoc recte à Te, Nobilissime Domine Doctorande, observatum esse video, nam, susque deque habito autoritatis præjudicio, in hac disputatione solida & genuina posuisti fundamenta. Hac via Te ad veram Jurisprudentiam, divinarum atque humanarum rerum notitiam, pervenisse certum est. Qua in re non solum maximo mihi est argumento præsens disputatio Tua; sed cætera quoque progymnasmata, à Te heic doctissime præstita, singularem eruditionem Tuam in utroque Jure, imò in omni literarum genere, quo Jurisprudentia nostra instruitur, ostenderunt. Huic elegantia illa morum accedit, qua amorem Tibi ab omnibus conciliare poteris, & actionibus Tuis admirabilis tribuitur ornatus. Animus itaque mihi præfagit, Tibi aliquando in luce & oculis Reipublicæ vivendum esse. Et cum honoratissimus Dominus Pater Tuus egregio munere Legati Residentis in Bremensium Republica, à Potentissimo Borussiae Rege Domino nostro Clementissimo Illi commissò, fungatur, hinc spero & opto, Te quoque in Legationibus aliisque amplissimis functionibus utilem & egregiam Reipublicæ operam præstiturum. Dabam Duisburgi XVI. Kal. Aug. MDCCXIX.

EPIGRAMMA

Ad

Prænobilissimum atque Doctissimum

D. JOHAN. PHILIP-
PUM TILEMANNUM

dictum SCHENCK

Super

L. fin. Cod. de edict. D. Hadr. toll.
inauguraliter disputantem.

Astra petens quondam terris Astræa relictis,
Terrigenum hanc sortem dum miserata nimis;
Ne vehat omne polo, non intestata recessit,
Liquerat ast aliquod jusque decusque solo:
Interque *heredum* quos scripserat alma virago
Nomina, præpollens est TILEMANNE tuum:
Nimirum paucis genium largita *divorum*,
Quos nisi Zeus finxit de meliore luto;
Talem TE vidit: procul hinc age *contradictor!*
Quo sine restantis jussio firma manes.
Vidit ut in nostro Clivensi hæc justus Apollo
Parnasso, ac subito Laurea parta TIBI.
Sic juvat *heredem possisso* juris & æqui,
Quam nunc non solum Lex TIBI lecta dedit;
Sed quoque sublimis *decreta immisso* honoris,
Quorum TE *heredem scripserat* illa diu.

Q. M. M. Q. S. Posuit:

I. e. S. Dr.

Der

Er Weissen sel'ner Stein ist nicht so hoch zu schätzen
 Als der Gelehrtheit Schmuck/ sie ist ein Diamant/
 Womit wir unsren Nahm in Erz und Marmel egen/
 Bobey der Zeiten Macht find steten widerstand.
 Ein Garten/ wo sich stets die Frucht der Ehren zeigt/
 Ein schöner Rosen-Stock/ den auch die Nach-Welt küßt/
 Ein Ceder/ dessen Laub bis in die Wolcken steigt/
 Ein Gold-gelicktes Kleid das keine Motte frist.
 Ein Perlen-reicher Schatz/ den hohe Häupter ehren/
 Ein hocherhabner Thron/ wovor die Welt sich bückt/
 Ein Pharus dessen Licht kein Zepht kan entbehren/
 Ein Nadel/ welcher Krafft den Purpur an sich rückt.
 Man liest daß Siracus den Plato angebeten;
 Augustus ware den Gelehrten zugethan;
 Und hat man weiter Lust in unsre Welt zu treten;
 Man schau den Grotium und andre Männer an.
 Wol dan/ Herz TILEMAN, dein Vorsatz ist zu preisen/
 Daß Du Gelehrtsamkeit zum Ziel dir vorgestelt/
 Heut wird dein' Klugheit Uns und auch der Nach-Welt weisen/
 Daß dein HochEdler Geist was Hohes in sich hält.
 Nun kanstu auch mit recht den Ehren-Trohn beziehen/
 Und ernten freudig ein der Arbeit reichen Zoll/
 Ich sehe schon bereit den grünen Lorber blühen/
 Der dein verdientes Haupt mit recht bezieren soll.

Mit diesen wenigen/ hat dem Herren
 Doctorando, und wehrtgeschägtem
 Freund gratuliren/ wie auch dessen
 geneigtem Andencken sich empfehlen
 wollen

C. A. CRUSE, LL. St.

CAR-

C A R M E N
I N H O N O R E M

Viri Nobilissimi & Consultissimi

JOH. PHIL. TILEMAN.

dicti S C H E N C K

J. U. Doctorandi

Cum pro Doctorali Laurea consequenda dissertationem
in L. f. C. de Edicto Divi Hadriani tollendo Eru-
ditorum examini subjiceret.

LUdit in humanis levis inconstantia rebus,
Et subeunt varias maxima quæque vices.
Nunc seges est ubi Troja fuit, nunc puppe secatur
Quæ quondam tellus vomere scissa fuit.
Marmora Mausoli, molesque operosa Colossi,
Saxaque Pyramidum pulvere pressa jacent.
Moenia disjecit lambentia vertice nubes
Ætas. & moles ducta ruina cavas.
Arrodit summas vis imperiosa Tiaras,
Nec manet à casu Purpura tuta gravi.
Sorte pari pereunt jussus & jura Potentum,
Et simili Leges conditione ruunt.
Quod julsère Patres, tollunt post secla Nepotes,
Altera quod mandant, altera Sceptra vetant.
Jura Palæstinis quæ summa Potentia terris
Præscripsit, melior sustulit orbe Dies.
Talis & Aufonium invasit gangræna Tribunal;
Non Tibi, quæ Diyo, Justiniane placent.

Nec

Nec Tibi jure placent, merito Interdicta fugantur,
 Quæ lassant duro subdita colla jugo.
 Hoc Tua nunc TILEMANN nobis Facundia pandit,
 Tollendo tollis Nomen in astra Tuum.
 Quod stupeamus, habes, liceat mihi dicere verum,
 Crederis haud uno posse placere modo.
 Sive Tuas poscat Bremensis Curia Lauros,
 Tu potes in Patrio Maximus esse Foro.
 Sive Tuam major Suadam desideret Aula,
 Nestore dicêris celsior eloquio.
 Gratia talis inest dictis, Facundia verbis,
 Ut possit Summis perplacuisse Viris.
 Credite Lectores, non fundo encomia mendax,
 Credite, tot Meritis inferiora cano.
 Ivit per cunctas Magnus TILEMANNIUS artes,
 Hic ea, quæ multi singula, solus habet.
 Talis in illustres missus Romanus Athenas
 Creditur Ausonio redditus esse Foro.
 Quem quondam excoluit miratus tanta Visurgis
 Munera, Quem doctis Sâla rigavit aquis.
 Hunc orna jam Rhene Virum, ne præmia desint
 Musis, nec proprium sit sine teste Decus.
 Et cum conscendes laudum sublime Theatrum,
 Hæc tacito præsens murmure Musa canet:
 Vos salvete graves, Victricia Tempora, Frontes,
 Salvete o! Tituli, Pileæ, ferta, Comæ.
 Quæ nunc in celfo florescit Vertice Laurus,
 Mox erit in summo conspicienda Polo.

Hic se commendare voluit

PETRUS JANSSEN,
 S. Lit. Cult.

Mox erit in lumine conspicenda Fides
Quae nunc in cello forsteri Veridice Latens
Salvata est Tholi, Prae, Cava,
Vos salvere graves, Vistulae Tempore, Pontes
Hac tacito praesens munus Mitis caest:
Et cum contemderet laudum tubum Theatrum,
Rites, nec proprium sit sine esse Decem.
Hunc oras iam Rheni Virens, ne pueris digne
Muneris, Quam deditis dila regis equis
Quam quondam excolat mirantur tota Viliugis
Credam Antonis reditus esse Fere,
Talis in illius vestris Romanis A. feras
Hic est, que nulli ferebat, sedas habet
Isti per caritas sapienter THEOPHILUS ates
Credam, tot Mentes in ista tunc
Credite, factures, non laudo encomia mendax,
Ux possit somnia per phantasia Vires
Gravis tunc iocit dicitur, Iacunda nos
Nefore dicitur, ceteris, obno,
Sive I am maior, Siquidem delectat Vires
Te potes in Partio Maximus esse Fere,
Sive I am potes, Elementis Caris feras,
Credam, huius uno posse placere more,
Quod suspensum, pass, fereat non dicit verum,
Et danda tollit Nomen in ista fere,
Hoc I us wage THEOPHILUS nobis ferebat ferebat,
Quae dicitur dano, in ista colla fere,
Nec Tibi iure placere, merito ferebat ferebat,

PETRUS JANSSEN
S. Lic. Calc.



ULB Halle

001 596 608


3



V017







1445Z

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS

Ad

1719, 2

LEGEM FINAL.
COD. D. EDICT. D.
HADRIAN. TOL-
LEND O.

Quam

DIVINO AUXILIANTE NUMINE

Ex

DECRETO ET AUCTORITATE
EXCELLENTISSIMI ET AMPLISSIMI

Incltyi JCTORUM ORDINIS
in Perillustri, quæ Duisburgi ad Rhenum
florete, Academia Regia

Pro

Consequendis in Utroque Jure Honoribus
& Privilegiis Doctoralibus

Die XIX. Jul. An. M. DCCXIX.

H. L. Q. C.

Publico Examini submittit

JOHANNES PHILIPPUS TILEMAN
dictus SCHENCK
BREMENSIS.

DUISBURGI AD RHENUM,

Typis JOHANNIS SAS, Academiae Typographi.

J. J. Schenck